

absconderat, dissimulare non posset. Hinc illud est, quod cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos (Id. XIII, 1). Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc eis sacramentum Corporis et Sanguinis sui tradidit, et celebrandum instituit, nescio virtute an charitate mirabiliori, hoc novum genus mansionis adveniēns in consolatioem recessus sui, ut si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum eis, sed etiam in eis virtute Sacramenti. Tunc veluti prorsus suae oblitus majestatis, et veluti injuriam faciens sibi, nisi quia gloria est charitatis humiliare se pro amicis, dignatione ineffabili Dominus, et talis Dominus, pedes servorum lavit: uno opere condens eis et humilitatis exemplum, et remissionis sacramentum.

**1007** 2. Tunc denique post exhortationem prolixioris sermonis Patri eos commendans, sublevatis in cœlum oculis, inter cœtera sic ait, *Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, et nemo ex his perivit, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio: serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo; et cœtera, quæ non est hujus temporis retexere, multo minus exponere. Summa tamen orationis, sicut indicat textus lectionis, est in his tribus, in quibus est et summa salutis, imo et perfectionis, ut nihil possit addi, scilicet ut a malo serventur, ut in veritate sanctificentur, ut cum ipso glorificentur. Pater, inquit, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et ipsi sint mecum, ut videant claritatem meam (Joan. XVII, 11-13, 15, 24). O felices, quorum advocatus ipse iudex est; pro quibus orat qui pari honore cum eo quem orat adorandus est! Voluntate laborum ejus non fraudabit eum Pater, cum quo est ei una voluntas et una potestas, quia unus Deus est. Omnino quod Christus orat, impleri necesse est: cujus sermo virtus est, et voluntas effectus; qui de omnibus quæ sunt, dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt (Psal. XXXII, 9). Volo, inquit, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum. O quanta securitas fidelium! quanta fiducia credentium! tantum non abjiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum credituri sunt in Dei verbum. Non pro eis, inquit, rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me (Joan. XVII, 24, 20).*

3. Vobis autem fratres, donatum est, ut ait Apostolus, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo (Philipp. I, 29): quos scilicet fidei promissionis Christi, non securitate negligentiores, sed alacritate faciens ferventiores, et quotidiano vitiorum conflictu, martyrio coronat assiduos: as-

siduo, sed facili; facili, sed sublimi. Facile est, ubi supra virtutem nihil imperatur; sublime, ubi de omni virtute illius fortis armati triumphatur. An non facile suave Christi jugum portare? an non sublime in regno ejus excellere? Quid facilius, rogo, quam portare pennas quæ portent portantem se? quid sublimius, quam supra omnem cœlorum altitudinem, quo Christus ascendit, evolare? Plane sancti, quorum sicut aquilæ juvenus renovabitur, assument pennas sicut aquilæ, et volabunt. Quo volabunt? *Ubiunque, inquit, fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (Matth. XXIV, 28, et Luc. XVII, 37).

4. Sed quid putamus, fratres, quomodo tunc repente de terris ad cœlos evolare poterit, qui nunc exercitio et usu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce, nunquid non Christus sicut aquila, provocabat hodie ad volandum pullos suos, quando super eos volitabat, cum scilicet videntibus illis elevaretur, disque sequerentur oculis euntem in cœlum? Poterat utique repente in icu oculi, ex oculis eorum rapi, et ubi vellet, constitui. Sed plane, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans (Deut. XXXII, 11), et corda sursum levare post se nitebatur amore sui, et corpora similiter posse sublevari pollicebatur exemplo corporis sui: sicut Apostolus ait, æterni conscius mysterii, quia et nos bajulis nubibus *rapimur obviam Christo* (I Thess. IV, 16) redeunti. Ipse quidem ascendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum (Psal. XVII, 11), id est supergressus est virtutes Angelorum: tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, et assumet te, atque portabit in humeris suis, si modo pullus degener non existas, ut a terra levari, et aura puriore perfrui non extimescas.

5. Alii volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente excedit, et ad tertium usque pervolat cœlum (II Cor. XII, 2); Joannes ad id quod id principio erat Verbum: tu saltem humi degenerem non trahas animum, nec patiaris obrutum inertia in terra putrescere cor tuum; sed clamanti, « Sursum corda, » Pontifici magno (qui hodie introivit in Sancta, æterna redemptione inventa, ubi et assistit vultui Dei interpellans pro nobis) responde fideliter, « Habemus ad Dominum. » Sed et si aliquando quæsisisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram; jam te ipsum increpa, et dic Domino cum propheta: *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?* (Psal. LXXII, 25) Heu, quam **1008** misere errabam! tam magnum est illud in cœlo mihi repositum, quod contemnebam; tam nihil hoc super terram, quod tantopere expetebam! Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cœlum: ibi sit et cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes Patrem et hæreditatem, inde expectas Salvatorem. Amen.

## IN FESTO PENTECOSTES.

## SERMO I.

*De Dei charitate et hominum ingratitude.*

1. Ineffabilis Deus, ineffabilis misericordia ejus. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus. Plane ineffabilis divinæ circa nos dignatio charitatis. Parum erat Patri, tradidisse Filium, ut redimeret servum; nisi daret et Spiritum sanctum, quo servum adoptaret in Filium. Dedit filium in pretium redemptionis; dedit Spiritum in privilegium adoptionis: se denique totum servat hæreditatem adoptatis. O Deum, si fas est dici, prodigum sui, præ desiderio hominis! An non prodigum, qui non solum sua, sed et se ipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam homini ipsi? an non prodigum, qui, sicut proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. VIII, 32), sic nec Spiritui sancto pepercit, ut ita loquar, sed nova et mira largitate super omnem carnem effudit illum? Multum quidem effusus sui prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quam se ipsum donavit meretricibus; sed multo effusior pater in recuperationem perditii filii, quam ille in perditionem sui (Luc. V) ; si tamen ulla debet esse comparatio gratiæ et pecuniæ, spiritus et carnis, Dei et hominis. Vide enim quanta largitate toto orbe gratia Spiritus effusa sit, non solum justis confirmandis, sed et peccatoribus justificandis: quomodo ubique gentium, Spiritu creante novum genus hominum, renovata sit facies terræ: imo quanta quotidie mutatio fiat per dexteram Excelsi, ut repente perditissimi hominum publicani et meretrices, justos quam plurimos præcedant in regno Dei, et novissimi fiant primi. Prorsus non sicut delictum, ita et donum: quia ubi abundavit delictum, ibi superabundans gratia (Rom. V, 15, 20): non solum donat delicta, sed etiam virtutum accumulât merita; et sublimius restituit lapsos redemptionem, quam constituerat prima creatio. Sane in his omnibus quanto mirabilior Dei gratia prædicatur, tanto damnabilior hominis duritia convincitur, si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non servet. Cui enim non offertur? super quem non effulget lumen illius? quis se abscondit a calore ejus? Neque enim reliquit se Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, et fovens calore bonitatis; cum et lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. I, 9), et Deus faciat oriri solem suum super bonos et malos, et pluat super justos et injustos (Matth. V, 45). Sed vae illis qui rebelles sunt lumini, et resistunt Spiritui sancto, nec æquiescunt veritati quam intelligunt; et sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate et beneficiis Dei duriores fiunt, audacter etiam provocantes eum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum!

2. Verum quid ad nos de his qui foris sunt? Ad

vos potius nobis est sermo, qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eundem spiritum in signum adoptionis et pignus hæreditatis; qui velut quidam character insignis, vasa misericordiæ a vasis iræ discernit. Quanquam de salute nostra, vel magis de spe salutis, ea nobis modestia gaudendum sit, ut quod in illis dolemus, adhuc de nobis pro nostra mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare impium, ita de nobis præsumere est temerarium, cum tam de nobis quam de illis, qualiscunque sit scientia præsentium, nulla possit esse præscientia futurorum; nec levis sit injuria summæ potestati, penes quam est arbitrium vitæ et mortis, si vel de illis tam crudeliter, vel de nobis tam audacter præjudicetur ejus judiciis. Denique de massa eorum sumus assumpti; et qui paulo ante eramus, sicut et illi, natura et vita filii iræ, repente facti sumus filii gratiæ. Nos ergo simus illis exemplum spei ad penitentiam; ipsi nobis, timoris ad perseverantiam. In nobis se misericordia commendat, **1009** ut ametur; in illis se iudicium exserit ut timeatur. Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine (Psal. C, 1): pro ista gratias agens, pro illo preces fundens, pro ista gratus et lætus, pro illo timoratus et cautus: de utroque eruditus exultabo tibi cum tremore, quia tunc ingrediar in veritate tua, si ita lætetur cor meum ut timeat nomen tuum. Neque enim timor iste, quem amor castum facit, gaudium tollit, sed custodit; non destruit, sed instruit; non inamaricat, sed condit: ut tanto sit durabilis, quanto modestius; tanto verius, quanto severius; tanto dulcius, quanto sanctius. O castum et fidele gaudium! quam fidelis est illa de te sententia Sapientis: *Non est census super salutem corporis, et non est oblectatio super gaudium cordis!* (Eccli. XXX, 16) Hoc utique gaudio non est gaudere impiis, quorum fatuos risus et frivola gaudia Sapiens detestatur et increpat. *Risum, inquit, reputavi errorem, et gaudium dixi: Quid frustra deciperis?* (Eccli. II, 2) *Risus dolore miscbitur, et extrema gaudii luctus occupat* (Prov. XIV, 13).

3. O bone Jesu, quam dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renuntiantes illi falso et fallaci gaudio! quam melior est misericordia tua super vitas! quam melior est dies una in atris tuis super millia! quanto beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua, quam mundus facere possit sua quantalibet affluentia, ubi quidquid affluit, defluit, sibi inhaerentem perefluere facit! Aliis affluebat deliciis illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lætificans civitatem Dei; cum scilicet hodierna die Spiritus, tanquam torrens, replevit totam domum ubi erant sedentes (Act. II, 2.) Apostoli. Exhibebat quippe divina Veritas, quod per prophetam promiserat: *Ecce ego declino in vos, ut*

*flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium* (Isai. LXVI, 12). Quantum illis affluebat, quibus tantus influebat! quantumque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ vivæ! Nec solum de corde benevolentia charitatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloquii, cui non poterant resistere et contradicere omnes eorum adversarii: sicut de Stephano dicitur, quia *non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur* (Act. VI, 10).

4. Ad huiusmodi gaudia vos interim, fratres, consolator vester invitat. Hoc torrente, voluptatis suæ sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis, inquit, sitit, veniat et bibat* (Joan. VII, 37). O affluens liberalitas Dei! o indeficiens largitas divinæ bonitatis! Spiritum, cujus hodie primitias dedit Apostolis, offert universis. Thesaurum suum, fontem aquæ vivæ aperit tam hominibus quam jumentis; tanquam et ipse omnibus sapientibus et insipientibus debitor sit. *Omnis, inquit, sitientes, venite ad aquas* (Isai. LV, 1). Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantum sitire quis noverit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes; sed sicut esurientes implet bonis, sic divites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium languor pessimus animarum, quod abominari facis bonum Dei verbum, contemnere cœleste donum, fastidire manna propter ollas carniū! Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam lethalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac male securum appropinquare usque ad portas mortis? Sed unde, rogo tam late lues ista Christi ovilia infecit, greges invasit, ut quam pluribus de grege Domini videatur etiam locus horroris et vastæ solitudinis, locus pascuæ ubi sunt collocati, et in pascuis uberrimis, in herbis virentibus misere pereant fastidio languidi? An non, quæso gustaverunt donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti; gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, et virtutes sæculi venturi? (Hebr. VI, 5.) Si enim non gustaverunt bonum Dei verbum, unde toties eructavit cor eorum verbum bonum, cum scilicet de memoria abundantiae suavitatis ejus eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem divinis intersunt laudibus, et dormitant; aut otiosa vel etiam perniciose mente pertractant: sedent ad librum, et oscitant: verbum exhortationis audiunt, et ipso auditu laborant: de pascuis mutantur in pascua, et tam ista fastidiunt quam illa: jugiter versantur inter fercula vitæ, et moriuntur fame. Unde ergo **1010** post illam felicem experientiam, gustumque suavem supernæ dulcedinis, tanta hæc oblivio, et incuria boni, languorque mentium subintravit? Sola relicta est eis vox illa plangentis, si tamen plangere volint: *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (Psal. CI, 5). Currebant utique bene: quis eos fascinavit retrorsum converti? Spiritu cœperunt: quomodo nunc carne consummantur? Voluptuose vesebantur: quomodo nunc intereunt in viis?

5. Videant, quæso, ipsi, ne forte inimicus homo, qui super bonum semen patrisfamilias lolium suum superseminare consuevit, post illam suavem escam Christi, felle suo fauces eorum tinxerit, ac per hoc non modo desiderium, sed et memoriam prioris gustus aboleverit. Enimvero statim denuntiat Apostolus his qui ejusmodi sunt: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem demoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ demoniorum* (I Cor. X, 20, 21). An non tibi videtur non modo potatus sed et inebriatus calice demoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similibus raptatur furore passionum? Ego, ut loquar de his quæ jam magis in usu quam in crimine sunt, puto quod et ille mensæ demoniorum particeps sit, et pascens eos pascatur ab eis, cujus os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens adversus fratrem suum loquitur et adversus filium matris suæ ponit scandalum: qui etiamsi non detrahit, detrahentem libenter audit; qui severitate stultiloquii cachinnantes dissolvit. Videat ergo qui ejusmodi est, an dignum sit ut, volutatus velut in cruore immolatio et sordibus demonum, mox admittatur ad mensam Christi et Angelorum. Absit autem, fratres mei, ut, hæc dicens, innocentiam vestram, qua plurimum delector, inscribam sceleri; sed hæc dico ut salvi sitis, et aliorum exemplo cautiores facti, manusque lavantes in sanguine peccatoris, gratiam Spiritus sancti quam alii negligentia perdunt, vos omni vigilantia servare curetis; ad laudem et gloriam ipsius largitoris Jesu Christi Domini nostri, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO II.

### De linguarum mysterio et dono lacrymarum.

1. *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei* (Act. II, 14.) Nimirum ex abundantia cordis linguæ loquebantur in eis. Exsultationes Dei in gutture eorum, quia charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum. O Domine Deus meus, et ego utique similiter laudarem, si similiter potatus essem. Quia vero arida est anima mea, ideo est et torpida lingua. Sed sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum (Psal. LXII, 6). Eructabunt labia mea hymnum; sed cum docueris me justificationes tuas: id est cum dederis gustare quam suavis es, ut discam te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas (Psal. CXVIII, 12). Bonitas siquidem tua, unctio tua est, qua doces eos de quibus prædictum est: *Erunt omnes docibiles Dei* (Joan. VI, 45). Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (Psal. XCIII, 12). Lex Domini immaculata convertens animas (Psal. XVIII, 8), claritas est: lex utique ignea, quæ est in dextera ejus, quæ cum digito Dei scribitur super latitudinem cordis, et ipsum cor amoris incendio, et eos ignito fervere facit eloquio. *De excelso, inquit, misit ignem in ossibus meis,*

*et erudit me* (Thren. I, 13). O quanta facilitate et celeritate, quanta copia et facultate, ignis ille quem Dominus Jesus misit in terram, non erudit imperitos, sed etiam expedit impeditos! Prorsus igneæ linguæ, quas ex se dispertivit ignis iste, quæ sic ignescere fecerunt non solum mentes, sed et linguas Apostolorum, ut etiam nunc pius auditor ad sermones ignescat eorum. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque vivit ignis perpetuus, qui et super corda nostra scintillat, si accedamus, si aurum vel animum ab eorum sermonibus non avertamus.

2. Si meruisset aliquam accipere de linguis huiusmodi, dicerem utique et ego, *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum* (Eccli. LI, 30); sicut de illis **1011** scriptum est, *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei*. Dicerem et illud: *Dominus dedit mihi linguam eruditam ut sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo* (Isai. L, 4), Apostoli et eorum similes linguis sibi datis magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram compluunt, cœlos aperiant; quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cœlis linguæ missæ sunt. Mihi autem utinam vel lingua carnis data sit, qua possim primum quidem propria, deinde et aliena ulcera lingere, si qui forte sunt qui ad hoc ipsum sibi me dignentur admittere. Beati quidem, quibus amor et dilectio divinæ laudis cor replet gaudio et os júbilo. Sed et illos utique beatos dixerim, qui, cum de vulneribus animarum virus ablingunt et purulentiam, trahunt in se, quo anima eorum saginetur, spiritum et gratiam. Esuriunt siquidem et sitiunt justitiam, et famem patiuntur ut canes: ideoque nihil fastidiunt quod in corpus suum possint trajicere; neminem peccatorem abominantur, quem ad justitiam possint convertere. *Quod Deus mundavit tu ne immundum dixeris* (Act. XI, 9) dictum est Principi Apostolorum, et in ipso aliis: et ob hoc mactat et manducat omne genus reptilium et volatiliū, et ait, *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia impatientis desiderii cibi mei sunt* (Job. VI, 7) Quinimo mirum in modum quanto quisque peccator ante conversionem amarior, tanto postmodum conversio ejus dulcior; quantoque desperatior, tanto gratior nobis ejus salus: quia et salvantis gratiam plus miramur, qui ovem perditam reportans in humeris, gaudium facit Angelis super uno peccatore penitentiam agente, quam super no-naginta novem justis (Luc. XV, 7).

3. Dicant igitur alii quibus datum est: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine* (Psal. CXVIII, 103)! anima autem mea esuriens et famem patiens ut canis, etiam amarum sumet pro dulci, et abominabile pro desiderabili. Delectentur alii lambere mella Scripturarum; ego vero delectabor ulcera lingere peccatorum, mei scilicet mihi que similibus. Fœdum quidem ulcus peccati, visuque horribile; sed tamen ipsum lingere, cujus sit saporis et gratiæ, non sa-

pit, non capit, nisi qui salutem periclitantium esurit, et famem patitur ut canis: de qualibus dictum est, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (Psal. CXVIII, 24). Sed vae miseris qui tanto studio pereunt, tantoque desiderio mortem sibi consciscunt, ut vulnera sua tegant, curamque canum refugiant, et asperitatem linguæ medicinalis arbitrentur morsum odii lethalis! *Oderunt corripientem in porta, et perfecte loquentem abominati sunt* (Amos. V, 10). Perfecte loquentem dico, non tam de perfectione disserentem, quam perfecta dilectione corripientem. Sed dicam, Perfecta dilectione, an perfecto odio? Imo utrumque, et perfecta dilectione, et perfecto odio: quia perfectum odium nihil aliud est, quam perfecta dilectio; et una est utriusque perfectio, quam Apostolus determinat, dicens, *Odientes malum, adherentes autem bono* (Rom. XII, 9).

4. Sed revertar ad id unde digressus eram. Optabam mihi linguam qua laudarem Deum, vel certe linguam qua consentium ulcera curarem: in altero quidem mihi quærens divinæ devotionis fructum; in altero, fraternæ salutis lucrum: vobis quoque in altero dulcis, in altero fieri desiderans utilis. Nam et de sæcularium arte et officio poetarum, ita sumptum est apud quemdam eorum:

*Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.*

*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*

(HORAT., Art. poet.)

Optabam, inquam, mihi gratiam oris, qua Deo et vobis officiosus deservirem; ut aliquatenus compensarem verbo, quod minus prosum exemplo. Quanquam satis suspecta mihi sit hæc consolatio, si dicam et non faciam: si suppetant suffragia linguæ, cum desint merita vitæ; imo magis fortasse timendum sit, ne peccanti dicat Deus, *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. XLIX, 16). Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus, et si tacuero, non recedet a me (Job. XVI, 7). Pavor est utrobique molestus, et coarctat e duobus; quia locutionem et officii locus exigit, et vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud Sapientem inveni: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum* (Prov. XVI, 26). Loquar igitur, non **1012** prout locus expetit, sed prout sensus suppetit, imo prout Dominus dederit, in cujus manu sumus et nos, et sermones nostri. Loquar, inquam, et me ipsum lingua obligabo propria, ut vel præ confusione aliquando laborare compellar: et si corpus a labore manuum excusaverit, certe anima laborantis laboret sibi, ut dicat cum David, *Laboravi in gemitu meo* (Psal. VI, 7). O si mihi dentur illi gemitus inenarrabiles, quibus Spiritus postulat pro sanctis, ut laborem in eis! Procul dubio labor huiusmodi gemituum satis digne pensaret mihi quotidianum laborem manuum.

5. Sed et vos ipsi, fratres, si æmulari meliora charismata didiscistis, optate gemitus huiusmodi a Spiritu vobis infundi. Nescio si sit in donis Spi-

tus aliud convenientius aut commodius his qui sunt infirmitate et miseria circumdati : nescio si Spiritui sancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opere tanta tamque parata nobis suppetat materia, sicut in gemitu et planctu nostri : nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primum circa infirmos, quorum curam suscipit, operatur medicina sancti Spiritus, qui est illuminatio nostra et salus nostra, ut videlicet se ipsum phreneticus sentiat et sciat, et conversus ad cor dicat Domino cum propheta : *Postquam convertisti me, ego penitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* (Jerem. xxxi, 19). Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem : nisi doluerit non meretur consolationem. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. v, 5). Puto quia nec in Apostolis hodie locum invenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filii sponsi, cum sponsus ablati esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos* (Joan. xvi, 7). Nisi desolati fueritis presentia mea corporali, non vos consolabitur visitatio spiritualis. *Date, inquit, siceram moerentibus, et vinum his qui amaro animo sunt*, non scilicet illis qui ebrii sunt gaudio et luxu sæculi. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? nunquid bibere possunt calicem Domini, et calicem dæmoniorum? *Bibant, inquit, potius pauperes Apostoli, et obliviscantur egestatis suæ* (Prov. xxxi, 6, 7), ut dicant : *Sicut egestes multos autem, locupletantes* (II Cor. vi, 10), *Bibant moerentes de absentia sponsi, et dolorum non recordentur amplius, sed dicant :*

#### IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

##### 1013 SERMO I.

###### De laudibus sancti.

1. Ah! Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ago sum (Jerem. i, 6). Fratres, si Jeremias, sicut ex lectione audistis hesternæ, ne prædicationis susciperet officium, verecundius quam justius minorem causabatur ætatem, quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex utero, et quem manifesta divina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior, mihi quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, nihil non erit puerilitas mea? Verumtamen tu, puer propheta Altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officii, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi,

*Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (Id. v, 16). Nam et te ipsum, si pio affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper et dolens* (Psal. lxxviii, 30), sic ditabit, sic, lætificabit sobria ebrietas hujus præclari calicis, ut, etsi pauper sis, paupertas animum non urat; et si dolebas quia peccasti, jam peccati reatus conscientiam non mordeat.

6. Vide autem, si non et ipse Spiritus sanctus in judicium venit in hunc mundum, ut qui dolent non doleant, et qui rident, æterno et inconsolabili se luctui tradant. Melius est igitur ire ad domum luctus quam ad domum convivii (Eccli. vii, 3). Et revera sapiens, etsi aliquando consolationem meretur, ut dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit, semper tamen ut locum paret consolationibus novis, novas exquirat de se ipso causas doloris; non statim blandiens sibi, quasi jam per omnia justus sit; sed eo subtilior, quo jam illuminari cœpit; eo districtior, quo justificari cœpit, fit accusator et iudex sui. Ei ergo qui ejusmodi est, crebro, nisi fallor, Spiritus consolator advenit, quoniam et adventum jam ipse suum antevenit; adveniens scilicet ut consolationem tribuat, sed anteveniens, ut lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina Spiritus et ordine primus, et utilitate invenitur præcipuus; quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia justorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum quæ nunc sunt, et gaudiorum quæ futura sunt; ad quæ nos perducatur qui vivit et regnat par omnia sæcula sæculorum. Amen.

quin saltem gestiamus more puerorum de te quomodo balbutire; qui etiam in materia leviori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit, o vox Verbi, vox sapientiæ, tibi devotæ solvere vinculum linguæ, qui necdum loquens, usum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fenore magno rediit intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, ut videlicet uterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogativa filii.

2. Qui enim propheta, et plus quam propheta futurus erat, imo ante prophetare quam profari, prius Deum quam se ipsum sentire cœperat, parentes quoque suos prophetas faciebat; et in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui et gratiæ superabundantiam refundebat. Nam et Elisabeth, postquam exsultavit in gaudio

infans in utero ejus, tunc et ipsa prophetavit repleta Spiritu sancto; quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini presentiam exultatione manifesta revelavit. Salutabat Salvatorem motu, quo poterat, et in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inestimabilis divinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Joannis penetrat, qui abstrusus intra materna lactebat viscera, spiritum ejus animat, gaudioque salutari vegetat; et cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ plenior infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filii copiose videatur in matrem refundi. Vere gratia plena Maria: manifeste Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia tam copiose, tam magnifice, principaliter in Matrem, de Matre in Joannem, de Joanne in parentes, gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, et fons vitæ et gratiæ oriebatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.

3. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Joannem loquor, consobrinum et amicum sponsi, præcursorem, Baptistam, et martyrem Domini: ideoque nimirum uberius irrigata in tantum exerevit, ut inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inveniri. Omnino Salvatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis conjunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloria annuntiationis, novitate navitatis, sanctitate pene originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat. Denique si alia cessarent omnia, si cuncta de eo silerent prophetarum præconia; solius gratia nominis ejus (9), quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur, satis abundeque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat ut gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret, et gratia non mediocri emereret, qui gratiæ tempus a tempore legis velut medius limes disterneret. Usque ad Joannem enim Lex et Prophetæ prophetaverunt (Luc. xvi, 16); qui videlicet primus ostendit presentem, quem Lex et Prophetia promiserant venturum.

4. Merito igitur nativitas hujus pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum **1014** natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat repascendi. Merito nativitatem istam, quam mirabiliter operatur gratia, miraturque natura, solemniter veneratur, Ecclesia: præsertim cum singularis illius nativitatis, cujus gratia naturam reparavit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratus se probat Ecclesia, non immemorem: fideliter agnoscit qua devotione, qua gratiarum actione suscipere debeat Præcursorem, per quem ipsum agnovit Salvatorem. Mihi plane novo nascitur gaudio lucerna mundi,

(9) Joannes enim gratia Dei interpretatur.

A cujus indicio lucem veram agnovi lucentem in tenebris, sed non comprehensam a tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio, cum quo tot et tanta mundo nascuntur bona; qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per penitentiam iniciat, per baptismum præparat, præparatam Christo designat et copulat; et quam ad vivendum temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat.

5. O fratres, quorum propositum est (utinam et ita desiderium) ad perfectionem festinare; quam cito christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accommodaret docibilem: cujus etiam prima elementa justitiæ modum supergressa sunt perfectionis humanæ; cujus rudimenta primævæ ætatis gravitatem sapientiæ vicere senilis! Qui enim, antequam natus, sanctus fuit, quid mirum si in processu conversationis plus quam sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non possumus sanctitatem tuam, sanctorum sanctissime: omnino necesse est ut, qui de publicanis et peccatoribus plebem perfectam Domino parere festinas, humanius eis loquaris quam vivas; et modum perfectionis non secundum vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis temperes humanæ. *Facite, inquit, dignos fructus penitentiae* (Matth. iii, 8). Nos quidem, o fratres, gloriamur perfectius loqui, quam vivere: Joannes autem sublimius vivens quam possint homines vel intelligere, loquitur tamen eis prout possunt audire. *Facite, inquit, fructus dignos penitentiae Humanum, inquit, dico, propter infirmitatem carnis vestræ* (Rom. vi, 19) Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium penitudo malorum. Si nondum facere prævaleis perfectæ fructus justitiæ, sit interim hæc vestra perfectio, ut faciatis dignos fructus penitentiae.

6. Si recordari volumus, fratres, lectionis hesternæ, ad dignos fructus penitentiae pertinet quod Jeremiæ, aut certe Joanni sub typo Jeremiæ dictum est, *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes: ad fructus justitiæ, ut ædifices et plantes* (Jerem. i, 10, et xviii, 7). Beatus qui manus hujus extirpatoris adjuverit (nam ipse Dei adjutor est), qui videlicet cooperans verbo et gratiæ Dei, in hoc studium et operam dedit ut evellat et disperdat de affectionibus et moribus suis omnem plantationem quam non plantavit Pater cœlestis, destruat et dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ et confusionis; ut postmodum melius ædificet et plantet, fiatque sicut scriptum est, *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus* (Isa. ix, 10). *Ascendat abies pro salivuncula, et myrtus pro urtica* (Id. lv, 13): omnis scilicet pulchritudo et gratia virtutum, pro situ et horrore vitiorum. Quis, putas, est ille tam perfectus in nobis, ut saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita